



Tractatus De Schismate

Longueval, Jacques

Lovanii, [1718]

§. III. An securos nos reddere possint qui de Schismate suspecti sunt, quòd eadem se nobiscum dogmata tenere prætexant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64915)

Tractatus de Schismate. 5

Heretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant; Schismatici autem discissionibus iniquis à fraterna caritate dissiliunt, quamvis ea credant quae credimus. Quapropter nec Heretici pertinent ad Ecclesiam Catholicam, quae diligit Deum; nec Schismatici, quoniam diligit proximum.

Aug. de Fide & Symb. c. 10. n. 21.

§. III.

An securos nos reddere possint qui de Schismate suspecti sunt, quòd eadem se nobiscum dogmata tenere prætexant.

LUporum non raro hæ voces sunt sub ovina pelle latentium. Sed etsi de corde sincero illorum verba procederent, securos nos reddere minimè possent; cùm in dogmatum communione esse possint Schismatici. Probatâ fidei puritate, si Ecclesiam scindant, sibi dictum existiment, quod Donatistis respondit Augustinus: *Nobiscum estis in Baptismo, in Symbolo, in ceteris Dominicis Sacramentis. In spiritu autem unitatis, & vinculo pacis, in ipsa denique Catholica Ecclesia nobiscum non estis.* Ad- dimus cum S. Dionysio Alexandrino: *Oportebat nihil non ferre ne Ecclesiam Dei scinderes. Non est martyrium hoc, Ecclesia non scindenda gratiâ toleratum, minoris gloria quàm quod fertur propter idololatria recusationem.* Sanè si dogmatum nobiscum communionem servant, cur non in ceteris omnibus pacis amore consentiunt? Steriles sunt sine hac concordi unitate virtutes. Dicere poterunt cum Donatistis: *Non eo ad adoranda demonia, non servio lapidibus: sed tamen in parte Donati (Quesnelli) sum. Quid tibi prodest non offensus Pater, qui offensam vindicat matrem, id est Ecclesiam.*

Epist. 93. ad Vincent. Rogatistam. num. 46. novæ edit. Epist. Dionysii ad Novatum apud Euseb. Hist. Eccles. l. 6. c. 44.

Aug. enarrat. in Ps. 88. versus finem.



6 *Tractatus de Schismate.*

De pecca-
to orig.
contr. Pe-
lag. l. 2. c.
23.

Luth. in
defensio-
ne Verbi
Cenz.

Hieron.
adversus
Ruffin. l. 3.
cap. ult. in
Sn. & c. 3.

Fides tamen Schismaticis adhibenda non est, dogmatum communionem jactantibus. Contendebant Pelagiani disputare se salvâ fide. Pelagius & Cælestius, inquit S. Augustinus, *volentes hæreseos astutè invidiam declinare, asserunt, istam (de peccato originali) præter fidei periculum esse quæstionem.* Ut cum Lutheranis convenire Zwingliani viderentur, prætexebant, quæstionem de reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia rem nihili ac minutum discrimen esse, indignumque ob quod Christianæ charitatis & concordie vinculum rumperetur. Quibus meritò respondit Lutherus, *Maledicta sit in omnem aternitatem illa caritas, & concordia; eo quod talis concordia non solum Ecclesiam miserè dilacerat, verum etiam more diaboli irridet, & tam illiberaliter aspernatur.* Idem respondere licet Schismaticis prætentam dogmatum communionem obtrudentibus. *Sit inter nos una fides, & illicò pax sequetur, dicebat Ruffino Hieronymus: omittamus hæreticorum patrocinium, & nulla erit inter nos contentio. Eodem fervore quo Origenem (Quesnellum) antè laudavimus, nunc damnatum toto orbe damnemus.*

§. IV.

Quâ divisione Schisma perficiatur.

NON omnis inter Catholicos sententiarum diversitas Schisma facit. Vidimus Sanctorum disputantium ardentis conflictus. Veritas stabat pro parte una: charitas pro utraque. Facile hic tamen quidam & periculosè decipiuntur. Omnes qui re ipsa Schismatici sunt, Schisma se detestari proclamant. Dudum